



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Mirabilis Vita Venerabilis Virginis Marinæ De Escobar Vallisoletanæ

Deprompta ex ijs, quæ ipsamet jussu Patrum suorum Spiritualium
consignavit

Vitæ Venerabilis Virginis Marinæ De Escobar. Pars Prima

Puente, Luis de la

Pragæ, 1672

Caput 19. De Ascensione Domini, & extraordinarijs gratijs, quas illi hoc
festo præstitit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38580

§. III.

Sequenti Dominicâ *Quasi modo*: ipsum conspexit similiter gloriosum, atque unâ sanctos Patres, quos Dominus eduxerat ex Limbo, qui comitabantur ejus Majestatem, cum multis Angelis ei inservientibus, ipsumque adorantibus, quemadmodum etiam illum videram in mysterio gloriosæ Resurrectionis. Nunquam potuit mea anima intelligere, qualis fuerit ille locus, in quo erat Dominus Majestatis: cum enim ipsa non habeat, neque in hujusmodi occasionibus mysticis sciat plus, quam ipsi dicatur vel concedatur, eo est contenta, siquidem non habet jus ad amplius aliquid exigendum. Tantum vidit, illum locum fuisse honoratissimum, & convenientem Divinæ Majestati, ubi etiam erat quædam Persona spectabilis, quam eate nus non viderat, quæ se celerrimè provol-

vit in genua coram Christo Domino, & manibus junctis cum singulari affectu dixit ad Dominum: DEUS meus, & Dominus meus. Tum illi Dominus respondit cum magna majestate: O Thoma, quia me vidisti, credidisti; beati, qui me non viderunt, & credent. Quod ultimum verbum dicens Dominus, aspexit me oculis indicantibus immensam charitatem; unde concepì magnum affectum amoris ac reverentiæ; & fui abrepta, ut non viderim sanctum Thomam tangentem vulnera Domini, quia, sicut dixi, non plus video, quam quod doceor, in his mysterijs.

Aliâ hebdomadâ Paschatis, cum vehementer essem afflicta, vidi meos sanctos quatuor Angelos, qui assumebant diversa musica instrumenta ad me recreandam; cantabant autem celebrantes triumphum Dominicæ Resurrectionis.

CAPUT XIX.

De Ascensione Domini, & extraordinarijs gratijs, quas illi hoc Festo præstitit.

§. I.

Postquam advenisset Festum Ascensionis, fui in spiritu ducta ad quendam campum, seu montem, ubi vidi Christum Dominum indutum splendidissimâ & pretiosissimâ veste, quæ tota erat distincta gemmis. Ostendebat se vehementer lætari eo die, quod esset ascensus ad Patrem, & sedens ad ipsius dextram, recepturus præmium suorum laborum. Hoc ego animadvertens eram partim plena solatio & gaudio, quod viderem meum Dominum tantopere honoratum adeo pretiosâ veste, quæ significabat sacratissima ipsius merita, & abeuntem ad suscipiendum præmium, honorem ac dominium omnium creaturarum, tam justè ipsi propter illa debitum; partim verò aliquomodo tristabar, ac dolebam, quod abiret ac migraret, ut non

potuerim id dissimulare, neque cohibere uberes lachrymas, dicendo ipsi: Denique Dilecte mi, ac Domine, vis abire, & nos derelinquere? Divina verò Majestas me solabatur, ac dicebat: Ecce ego abeo, aperturus viam ad cælum, ut possitis in illud ingredi, referenturque vobis portæ, quæ tot annis sunt clausæ, quin ullus hominum potuerit eò introire. Nunquid etiam ignoras, quod licet abeam ad meum Patrem, maneam tamen unâ hic vobiscum in terra? Tace ergo, & cape inde solatium. Audiens mihi hæc dici à Domino, affuebam magno solatio; & quasi jam acquiescens, dixi illi: Mi Domine, & Dilecte mi, antequam abeas, vultne Tua Majestas mihi eam præstare gratiam, ut me permittat osculari suam pretiosam vestem Divinorum suorum meritorum? Divina Majestas mihi respondit quàm amantissime: Omnino, osculare illam, licet; tua enim est, cum tu quoque sis illius particeps, eò quod

Ec 2

ista

ista mea merita sint etiam tua. Hoc auditō magis exardescēbam amore hujus Domini, dixique illi: Mēāne, mi Domine, vis, ut sit hęc vestis, atque tua merita? & thesauros, quos promeruisti, ac obtinuisti tuis tormentis, doloribus & cruce, nec non obedientiā, quam tuo sacratissimo Patri exhibuisti, vis esse meos; illōsque dare tuæ malæ, ac ingratae servæ? Respondit mihi Divina Majestas: Nonne scis, liberos, qui non fuerunt parentum suorum proditores, esse ipsorum hæredes necessarios, habereque jus ad illorum bona? Itā tibi competit jus ad hęc bonā, & merita mea. Atque dum hęc verba tanto cum amore & solatio meo diceret, apprehendit lateralem suæ sacratissimæ vestis partem, admovensque ipsam ad me, porrexit mihi eandem exosculandam: propter quam gratiam ac favorem, fui repleta ingenti consolatione. Deinde vidi ex illo monte ascendisse Divinam Majestatem ad Cælum, præsentibus sanctis Apostolis, ac sanctissimā Virgine, Dominā nostrā. Ego partim sum exhilarata, & abundavi solatio, partim autem fui quasi desolata ac tristis, atque hoc modo transegi totum illum diem.

Alio die Ascensionis 1613. cum graviter ægrotarem, videbam ascendentem Dominum Majestatis cum magna pompa ad Cælum, & ascendebam post illum in spiritu. Postquam autem pervenissem ad illam cœlestem Jerosolimam, confugi ad unam ipsius partem, ac si me reciperem ad locum securum, unde non essem expellenda. Sed adfuerunt Angeli, ut me monerent, esse mihi exeundum: ego verò reponebam, me non exituram. Durante hac piā contentione, venit ipse Christus Dominus, & vocavit me, dicens mihi: Veni mecum; & ego illum fui sequuta, reduxitque me ad meum lectulum.

§. II.

ALio anno mihi agenti cum Domino, die ipsius Ascensionis, vehementerque afflictæ, propter toleratos præteritis diebus multos dolores, dixit Divina Majestas cum

suavi quadam & gratiosa dissimulatione: Dic mihi, quæso, quomodo non venisti mecum? Quando mihi hoc dixit, erat in cælo circumdatus magnā multitudinē Angelorum, & Beatorum Spirituum. Ego respondi: Tua Majestas me non duxit, & ego sum tam mala, ac tanta peccatrix, a deo plena defectibus, ut me non debuim præparare ac disponere pro celebrando hoc sacro Festo. Bene habet, aiebat Dominus, noli affligi; quasi mihi significaret, non esse istam causam: & præcepit meis Dominis Angelis, ut me ducerent ad Cælum, velle enim se mihi impertiri suam sanctam benedictionem, qui me subito duxerunt. Erat Christus Dominus dilectissimus noster Servator, stipatus plurimis Angelis, qui illum adorabant, eique inserviebant. Prostravi me ad ipsius pedes, ut susciperem ab illo sanctissimam benedictionem, ubi me Dominus diu detinuit. Advenerunt autem continuo multi sancti cœlites & beati, ad me videndam, & mihi gratificandum: sed ego itā eram immersa in Domino, ut illos vix agnoscerim, præterquam Beatissimam Virginem, & sanctum Joachimum ipsius Patrem. Omnes veniebant cultissimi, & festivè ornati. Dedit mihi Dominus suam sanctissimā benedictionem, uti mihi promiserat, ac deinde quā affabilissime ac suavissime mihi dixit: Quid vis, ut tibi modo dem? insinuando, se velle mihi præstare aliquam magnam gratiam. Tum ego valde folicita, & quasi inadvertenter elevavi modicè vestem, quā eram induta, ut susciperem, quod mihi Dominus volebat dare, & Divina Majestas ter iniecit in meum sinum multos pretiosos lapides, ac elegantia cimelia, tantamque copiam donorum ac thesaurorum, ut obstupuerim & fuerim attonita, ac valde confusa, & pudefacta, videndo me tam divitem, & abundantem talibus thesauris: alia verò ex parte, non me capiebam præ gaudio, voluissēque dispertere omnes illos thesauros, ac divitias intrer illos Beatos sanctos, qui venerunt ad me videndam; unde incepti omnes indiscriminatim invitare, rogans demisse, ut acciperent, & auferrent ex meo sinu, quod

quod ipsis maximè placeret. Etiam invitavi meos quatuor Dominos Angelos, ac præsertim sanctum meum Angelum Custodem, rogando illum, ut ista acciperet, servaretque pro se. Sanctus autem meus Angelus Custos me aspexit quasi subridendo, ac dixit mihi: Serva tu illa in arca, seu archivo tuæ animæ, quia tua sunt. Atque tunc visæ mihi statim fuerunt omnes illæ divitiæ intimè pervasisse meam animam, ita ut fuerit vehementer ditata, & recreata, adeoque contenta, ut noluissem discedere ex illo sancto loco. Verùm peracto Mystério, mei Domini sancti Angeli me reduxerunt ad meum cubiculum, & lectum, ubi me reperi.

Ex hac visione apparet, quàm sit proprius ejus, qui est perfectè præditus charitate, nolle extolli propter dona DEI, retinendo ea sibi soli; sed desiderare & procurare, ut ijs omnines fruantur, ac ad ipsa illos invitare, & quomodo illa idcirco non perdat, imò intimam eorum possessionem capiat.

Alio anno 1617. in eodem Festo, cum essem vehementer afflicta, mihi dixerunt mei sancti quatuor Angeli: Veni Soror, & videbis aliquid ex hoc Mystério. Subito elevata in spiritu veni ad locum, in quo erat Christus Dominus cum suis sanctis Apostolis, aliisque hominibus, & acsi essem aliquantum remota, magnopere anhelabam, ut illi appropinquarem. Dominus me aspexit, dixitque Angelis, ut me ad ipsum adducerent. Cum essem juxta illum, incepit flere; Divina Majestas autem imponens suam manum meo capiti, me solabatur, dicendo: Noli affligi, quia brevi pro te revertar. Tunc ipsum vidi ascendentem, modo & majestate admirabili, ut adverteretur ascendere suâ propriâ virtute, jamque illum videbam quæ DEUM, jam quæ Hominem, usque dum se meo aspectui subduceret, ac tum redij ad me. Sub vesperum ejus diei mihi dixerunt Angeli: Semper hic hæres oclusa, bonum erit, si visitaveris locum, in quo fuit Dominus, quando erat ascensurus ad cælum. Adverti me ab illis indui veste fuscâ, instar peregrinæ, cum iisdemque conversando, susceptum iter sum prosequurâ, non absque mo-

lestia: Perveni ad quendam locum, ex quo Dominus ascendit cælum, vidensque ibi in lapide signa quasi ipsius vestigiorum, venerata sum illa, & postquam ibidem indulissem aliquantulum devotioni, fui abducta. Quando verò ad me redij ex ista visione, adverti me tam fatigatam, quàm si re ipsa iter pedibus corporaliter confecissem.

§. III.

ANNO sequenti 1619. die Ascensionis manè incepit mea anima habere indicia, quæ illi Dominus solet præbere, quod ipsi esset præstiturus aliquam extraordinariam gratiâ, & visæ sibi est aliquoties quasi momentaneè esse in eo sacro loco, in quo Dominus ascendit cælum. Ego pro meo consueto timorè me conabar abstrahere, & horâ diei duodecima cum dimidia, dum agerem cum Domino, venit ad me sanctus meus Angelus Custos, atque cum sancta quadam vivacitate mihi dixit: Anima mea, quare negligis & quodammodo reformidas gratias, quas tibi Dominus vult conferre? Veni nunc mecum, volo enim te ducere ad illum sanctum locum, in quo Dominus ascendit ad cælum. Et continuo admirabiliter ac in momento me constituit in eo sacro loco vehementer obstupescentem, & quodammodo attonitam, ut vix adverterem ubinam essem, atque sanctos, qui aderant, non nisi confuse viderè. In hoc mentis excessu, conspexi Majestatem JESU Christi Domini nostri: quod me summo affecit solatio, & Dominus me statim est peramanter intuitus Divinis oculis, compellendoque me de nomine, dixit: Marina, quid hic agis? die, mea Anima, quis te duxerit ad hunc locum? tangensque meum caput suâ sacrâ manu, dedit mihi suam sanctam benedictionem, atque ita cessavit ille raptus, post quem nihilominus continuavi illam claram visionem Christi Domini, qui supra lapidem ibi aliquantum eminentè, statuit suos sacros pedes, & cum maxima majestate, stipatus infinitis Angelis, ipsi interservientibus, incepit suâ propriâ virtute, tam divinè & mirabiliter ascendere, ut mea anima summo opere

obstupuerit, defixisq; suis oculis in suum DEUM, diu fuerit ejus aspectu fruita. Subito autem ipsam incesse ingens cupiditas comitandi suum DEUM ac Dominum, & conversa ad suum sanctum Angelum, dixit illi: Angelemi, duc me unâ cum meo Domino, per te ipsum te rogo, Angelemi. Misertus mei sanctus Angelus, dixit mihi: Libenter, Anima, libenter, habeo enim à DEO facultatem id faciendi. Hoc audito, mea anima existimabat propter abitis desiderium, quo tenebatur, sibi esse quàm celerrimè ascendendum, accinxitq; se citissimè ad ascensum. Sed sanctus Angelus ipsam detinuit, dicendo: Expecta, Anima, quò vadis? nunquid fortè velles ascendere; statimque me deduxit ad aliam partem illius montis, & ex eo loco me admirabiliter duxit ad cœlestem Jerosolymam, ubi vidi res arcanas & stupendas, nec non Majestatem Christi JESU Domini nostri, sedentis ad dexteram sui æterni Patris. Quamvis non viderim, quomodo fuerit exceptus, id namque jam fuerat peractum; vidi tamen infinitos Angelos, qui in illa cœlesti Jerosolyma, cum admirabili harmonia cantus & instrumentorû musicorum, benedicebant ac laudabant suum Creatorem propter gratiam, quam illis & universo generi humano præstiterat, dando ipsis suum Filium, factum Hominem pro homine; benedicebant quoque ac adorabant, & laudabant illam sacratissimam Humanitatem Verbi Divini Incarnati, atque prostrati in ejus conspectu protestabantur, illum esse suum verum DEUM, Regem ac Dominum. Cœlestis illa Jerosolyma videbatur tota ardere, & conflagrare Divino igne amoris, & laudum. Attonita mihi ob solennitatem tantæ festivitatis, dixit sanctus Angelus: Eja, Soror, veni mecum, ducam te ad Dominum, jam enim est tempus. Duxit me ad Majestatem JESU Christi Domini Nostri, & prostravit me in ipsius conspectu, dixitque statim Dominus: Opportunè venisti Anima, quia nunc adest tempus, ut conferam magnas gratias meis creaturis. Surge, & suscipies mea dona. Surrexi, & Dominus suis proprijs sacris manibus

injecit in meum sinum plurimos admirabiles ac odoriferos flores, qui erant diversarum specierum, nec non gemmas, differentes colore, pretio, ac virtute. Quando me vidi tam felicem ac ditam illis thesauris, acceptavi illos cum magna aviditate & solatio, apprimendo mihi ipsos fortiter. Et sic celerrimè confurgens, abibam contentissima ac lætissima, absque ulla alia consideratione.

Cùm Dominus Majestatis videret meam festinationem, & inadvertentiam, dixit mihi graviter, & amanter: Quorsum ita properas, Anima? revertere huc. Quod audiens, statim redivi confusa & pudefacta, atque Dominus mihi suaviter dixit: Quorsum ibas anima? dic, age, quid cogites facere cum his thesauris, quos tibi dedit. Respondi cum verecundia, & confusione: Nescio, mi Domine, & mi DEUS. Quod tu vis, quòdque tuæ sanctæ voluntati fuerit consentaneum, id ego totum volo facere, & nihil aliud. Ecce (ajebat Dominus) isti thesauri, quos tibi dedi, & suscepisti ex mea manu, deponendi tibi sunt in mea Ecclesia, atq; hoc te oportet facere per tuum sanctum Angelum: quo dicto mihi est impartitus suam sanctam benedictionem. Sanctus autem meus Angelus Custos me, duxit ex eo loco ad meum angellum, dixitque mihi: Quiesce modo Anima, meum erit respondere, juxta præceptum Domini, pro deposito ipsius thesaurorum.

Alio Festo Ascensionis manè 1614. vidi aperiri cœlos, & dixit mihi Dominus: Vide, quid fiat in illa cœlesti Jerosolyma, & quomodo illic vivant animæ. Subito ipsū vidi ascendentem ad cœlum, comitantibus illum millionibus angelorû, & ego sum sequuta Divinam Majestatem, immiscuique me illis cœlestibus spiritibus, donec accessissem ad pedes Christi Domini, quibus me affixi; & cùm me indè vellent suaviter repellere, ego nolebam abire, quoad usque dixit Dominus: Relinquitte ipsam, quia descendam, quando peragetur Consecratio in Sacrificio Missæ, quæ dicitur (hoc autem accidit dum inchoaretur) actum ipsa quoque descendet. Tempore igitur Consecrationis Dominus descendit, atque

tunc descendi cum ipso & ego. Dum autem conquererem, eo quod ducerem deorsum, dixit mihi Dominus: Quid vis? nonne me hic habes? & manifestavit mihi modum, quo existit in sanctissimo Sacramento Altaris.

§. IV.

In sequentibus visionibus Dominus ostendit, quanto profunderetur amore hanc suam Famulam; ipsa vero vicissim, quantum suos amaret proximos, sic verbis ait: Dum aliquando mane (die 27. Maji, anno 1620.) agerem cum DEO in vigilia Ascensionis, sensi affectum lætitiæ & consolationis ex eo, quod nobis hoc Festo repræsentat sancta Mater Ecclesia, de Christi Domini Nostri Ascensione ad cælos, in qua complevit omne nostrum bonum, ac remedium; aliunde verò retardabat hunc affectum memoria solitudinis, in qua esset relinquenda Beatissima Virgo, Domina Nostra, & sancti Apostoli, propter absentiam sui DEI ac Magistri, & quasi id etiam me concerneret, dixi ad Dominum dolens: Domine mi, & DEUS mi, ergone denique abis, & relinquis me solam? Dominus verò qui aderat, respondit cum summa charitate: Non abeo à te, Anima, quia etsi tibi videar à te discedere, manebo tamen tecum, & tu manebis in me, atque si abivero, tuo modo intelligendi, mittam tibi spiritum sanctum, qui te replebit bonis ac thesauris. Audivi dicta mihi à Domino, cum magna confusione & verecundia, ac respondi: DEUS mi, & Domine mi, infinita sunt misericordiæ, quas à tua Divina bonitate suscepi, sed tanquam miserabilis creatura, ac vas testaceum malè excoctum, omnia effudi, & nihil inde profeci, ideòque mi Domine, timeo me ipsam, nè sim, quæ semper fui. Respondit Dominus: Anima, divitias, quas ego tibi dedi, ac donavi, habes, neque perdidisti, sicut tibi videtur, & dicis: ego enim meâ manu illas tibi contuli, dedique auxilia, & præsidia pro conservandis his bonis ac thesauris, quos tibi do, ut sit difficillimum illos perdere. Quod verum esse, clarè videbis die tui particularis judicij, ubi hæc o-

mnia, cum incremento, & absque diminutione, comparebunt in meo conspectu, ac in præsentia tuorum sanctorum Angelorum. Postquam hoc cum ingenti confusione audivissem, dixit Dominus: Vale nunc Anima, *Poststridie, ipso Festo Ascensionis mane mihi loquuta est Divina Majestas, dixitque amanter: Quid agis, Anima? Jamne affluit solatio tuus affectus? scias velim, quod tibi sim præstiturus novam gratiam, antequam abeam, quemadmodum tu dicis, quæ est, ut te prius invitem ad convivium, mecumque comedas ad meam mensam, ex meo Divino pane. Audivi, quod mihi à Domino erat dictum, & admirata sum ipsius bonitatem, obtulitque se statim meæ memoriæ magna molestia & afflictio, quæ patiebatur quædam persona, & tentationes ac pericula salutis, quæ fortè esset incursum, nisi illam Dominus specialiter adjuvaret, ideòque dixi Divinæ Majestati Domine mi, & DEUS mi, cum mihi velis exhibere hanc misericordiam, de qua loqueris, ex mera tua bonitate, obsecro te, præsta mihi & istam, ut convivij, quod mihi vis instruere, unâ sit particeps hæc persona afflicta, & in necessitate constituta. Audivit Dominus, quod illi dixi: visa verò est ejusdem Majestatis id dissimulasse, neque mihi respondit. Quod ego advertens, iteratò idem petivi à Domino, & majore affectu. Adhuc tamen tacebat Dominus, quasi quoad id sentiret difficultatem, vel illam præferret. Rursum tertio idem à Domino postulavi, longè vehementiore affectu denuò supplicando, ut per viscera suæ clementiæ & misericordiæ mihi faceret eam gratiam, & miseretur illius creaturæ. Tum Dominus videns meam pertinacem importunitatem, dixit: Volo tibi præstare hunc favorem & gratiâ, quam à me tam seriò petis, ac tanta cum charitate. Cum enim David adhibuerit suæ mensæ claudum, eo quod esset filius sui magni amici Jonathæ, æquum est, ut ego idem suo modo faciam, propter animam, quam amo. Maximo solatio afficit meam animam præstita mihi à Domino gratia, quam ab eo postula veram, unâque*

que etiam ipsam replevit summo pudore, verecundiâ & confusione, idque merito, propterea quòd Dominus dixerit, se illam mihi præstare, egi que illi magnas gratias pro omnibus, quamvis non quantas debebam. Interea diabolus comparuit coram Domino vehementer iratus & furens, dicens Divinæ Majestati, quomodo & quare facturus esset, ac faceret rem hujusmodi, permittendo accedere ad suam Divinam mensam tantum peccatorem, quantus esset ille homo, & tam perversum? non oportere id fieri, ideòque nè id ullâ ratione Divina Majestas faceret. Videns Magnus Dominus Noster ac DEUS audaciam ac temeritatem diaboli, cum maxima majestate & modo terribili ei dixit: Apage, nefarie proditor, tunc audes & prælumis cõparere coram me, cum tu sis causa tantorum malorum? apage abominabilis mendax, ac deceptor. Animadvertens diabolus vocem Domini, verborumque ipsius majestatem, incepit tremere, & cum ingenti metu ac timore evanuit. Ego verò hærebam attonita, & admirabunda, quòd viderem talia.

§. V.

PAulò post vidi meos Dominos Angelos, diligenter parantes mensam tripedaneam, compactam ex tabulis aureis purissimis, quales esse solent abaci elegantiores: cooperuerunt illam pretioso velo, & subito vidi venientem cum maxima majestate, stipatum multis sanctis Angelis, Christum Dominum, qui accedens ad mensam, ei assedit in sella. Erant ibi etiam aliæ minus conspicuæ, sella enim Christi Domini fuit spectabilissima. In his ad dexteram Domini, jubente ejusdem Majestate, confederunt quidam Sancti, qui, meâ opinione, erant Apostoli; ac deinde coniecit Dominus oculos in me; adduxerant enim me illuc mei Domini Angeli, dixitque Dominus: Accede, mea Creatura, ac asside meæ mensæ, comedisque ex meis cibis, quemadmodum tibi promisi. Audiens meâ anima id dici à suo DEO, valde fuit confusa & pudefacta. Sed Dominus

iterum dixit: Asside nunc meæ mensæ, Anima mea, sicut tibi dixi; præcepitque illis sanctis Angelis, qui erant mecum, ut meò adducerent. Assedi, sicut iussa fueram à Domino, cum maxima verecundiâ & confusione, ac tum sancti Angeli posuerunt in illa mensa coram Domino grandè pelvim, quæ videbatur esse expurissima, crystallo, plenam parvulis tortis candidissimi & bene pisti panis. Dominus conjunxit manus, & elevavit suos sacratissimos oculos ad cælum, deditque suam sanctam benedictionem illi pani, deinde Divina ejusdem Majestas accepit unam ex illis tortis, posuitque ante me, quia ego sedebam è regione Domini, & dixit: Accipe, Anima, comede hunc Divinum cibum, quem tibi meâ manu porrigo: erit tibi solatio, & multum proderit. Cum id audirem dici à Domino, inclinavi me, & cum magna reverentia admovi meum os illi tortule, ut ipsam exoscularer, ac venerer. Quando verò elevavi caput, jam non aderat, sed intimè pervaserat meam animam, quæ experiebatur speciales affectus, & solatium in suo DEO. Postea Dominus distribuebat ijs Sanctis Panem illum Divinum, quem ubi quibusdã eorundem Sanctorum porrexisset, vidi duos Angelos celeriter venientes ac adducentes illam personam, constitutâ in necessitate, pro quâ ego Dominum oraveram, ut eam admitteret ad mensam; postquam autem fuisset adducta, staret; ad finem illius mensæ, ac tremere, ij, quibus Dominus distribuebat Divinum Panem, ponentes quàm amantissimè manum super ipsius humeros, ut accederet, imposuerunt ejus ori, Domino volente, unam illarum Divinarum tortarum, quam non amplius vidi. Deinde ubi se prostravisset humi, reduxerunt ipsam sancti Angeli, & Dominus cessavit distribuere illum sacrum Panem ijs Sanctis, atque subito fuit finitum illud mysticum convivium, & Dominus Majestatis, datâ nobis omnibus suâ benedictione, surrexit à mensa, ac abivit cum omnibus illis sanctis Angelis, & cum ea magna majestate, quâ venerat. Nihil dubito, quin ea persona afflicta, in eo loco, in quo erat, senserit fructum illius refecti-

onis,

onis, dederitque ipsi Dominus novas vires, & robur spirituale, pro tolerandis suis afflictionibus.

§. VI.

Post tres abhinc horas, dum agerem cum DEO, sensit mea anima præsentiam Christi Domini, quem ego non vidi, sed videntes ipsum mei Domini Angeli, mihi dixerunt: Veni huc anima, ducemus te eò, quò abit Dominus. Tunc Divina Majestas dixit: Relinquitte illam, & non urgete, quia necdum advenit hora. Reliquerunt me, & Dominus abivit, horà verò duodecimà meridianà mei Domini Angeli mihi dixerunt: Soror, eamus eò, ubi est Dominus Majestatis; & statim me duxerunt ad illum locum, qui erat mons magnus, & pulcherrimus. Pervenit mea anima cum ingenti gaudio & solatio ad suum DEUM, atque cum illo magno dolore, quo discruciabatur, eò quòd ipsi videretur abire, & illam deserere, accedebat quàm vicinissimè ad Divinam Majestatem, dicebatque dolens & illachrymans: Noli abire, mi DEUS, & Delicium meum, noli abire, neque me relinque solam, duc me tecum: id quòd sæpius iterabat non absque speciali affectu. Permisit me Dominus ad se accedere, ac dando quasi manu signum, dixit: Anima, veni mecum; junctisque suis sacris manibus, & elevatis oculis ad cælum, incepit ascendere suà proprià virtute, comitantibus ipsum infinitis Angelis, qui illum laudabant ac benedicebant. Ducebat autem Divina Majestas pauperulam suam animam adhærentem suo lateri, & juxta se. Hunc in modum ascendit Dominus cum maxima Majestate ex terra ad cælum, & penetravit omnes cælos, donec perveniret ad dexteram Æterni Patris. Fuit res admirabilissima, videre modum mysticum plenum mysterijs, quò ille Divinus Dominus fuit susceptus à suo sacratissimo Patre, qui ipsum est amplexatus eum summo amore, dicendo: Hic est Filius meus dilectissimus, in quo mihi complacui, & complaceo. Atque tota Beatissima Trinitas est summè exhilarata & recreata propter illum Dominum DEUM,

& Hominem verum, videns sacratissimam illam Humanitatem collocatam in cælo. Omnes Hierarchiæ Angelorù cælestis Jerosolymæ, cum canticis & instrumentis musicis laudabant, ac benedicebant illum Dominum, eumque adorabant, & prostrati ad ejusdem pedes confitebantur ipsum suum DEUM ac Dominum, deponebantque suas coronas ad illius sacros pedes. Videbatur ea cælestis Civitas ardere & conflagrare amore Divino, ac laudibus sui DEI; apparebant quoque copiosè in illa sacrosancta Civitate pluentes pretiosi lapides, qui erant infiniti valoris, atque etiam Angeli DEI spargebant per pavimentum hujus cæli abundanter illos pretiosos thesauros, cum ingenti lætitia & magnanimitate. Quando mea anima spectabat ejusmodi mysteria, videbatur sibi ipsi eripi, eò quòd ebria esset eo Domino, atque ab illius amplitudine absorpta, & summè appetebat infinita illa bona, quæ agnoscebat in ea specie pretiosorum lapidum, ac magnorum thesaurorù. Colligebat quàm celerrimè, quòd Dominus majestatis profundebat, ac dispergebant ipsius sancti Angeli, donec penitus replei et totum suum sinum, & pallium, videreturque sibi esse adeò onerata, ut se non posset movere: nec animadvertere ad aliud, quàm ut cum illa aviditate colligeret, quòd ei DEUS ipsius offerebat. Postquam se vidisset locupletatam illis divitijs, aspiciebat quàm attentissimè & sollicitissimè, ubi essent ipsius sancti Angeli, ut illam quàm citissimè reducerent domum, quasi timeret nè aliquis veniret, qui ei eriperet & auferret thesauros, quos ipsa sollicitè & operosè collegerat, ac nè ijs ipoliata depauperaretur. Videntes mei Domini Angeli innocentem affectum meæ animæ, permittente id Domino, ut eà ratione mea anima posset facilius redire ad suum exilium, eò quòd alioquin iste reditus ipsi videretur allaturus magnam desolationem & afflictionem, venerunt & duxerunt me, atque collocaverunt in meo angulo, ubi me reliquerunt in magnà

ecstasi.

✽ ✽ ✽
✽ ✽ ✽

Ff

§. VII.

S. VII.

Tandem septem diebus ante Ascensionē
Anni sequentis (17. Maji anni 1625.)
ipsam Dominus elevarit ad continuam spi-
ritus cum sua Divinitate unionem internā,
quin tamen propterea hic in terra intermit-
teret, more consueto, conversationem cum
hominibus, hunc in modum: Dum, inquit,
quadam feriā sextā ante Ascensionem age-
rem cum DEO, vidi Verbum Incarnatum
in specie parvi, elegantissimi & splendidis-
simi Infantis, circumdati undequaq; prorsus
aureis radijs lucis ac splendoris, ut ap-
pareret instar Divini Solis. Erat hic Do-
minus circumdatus ab infinitis Angelis,
qui ipsi inserviebant, & illum adorabant.
Incepi admirari ac turbari, & extimui:
Dominus autem cœpit evibrare quasdam
quasi scintillas, & coruscare, atque paula-
tim appropinquabat mihi, donec perve-
niens ad meum pectus in me illaberetur.
Adeo verò validè occupavit meam animā,
eamque secum univit, ac intimè introdu-
xit in illos splendidos radios, & intrā se
ipsum, ut videretur egredi è meo corpore.
Tanta fuit vehementia illius unionis. Dū
ita aliquamdiu essem constituta, idem Do-
minus admirabiliter paulatim & suaviter,
ducens meam secum animam, cum comi-
tatu omnium illorum Beatorum Spirituū,
pervenit ad conspectum sui Æterni Patris,
qui ipsum est amplexatus quā amantissimè;
deinde accessit hoc Divinum Verbū
ad sacratissimam Personam Spiritus sancti,
qui idem fecit, atque tota Beatissima Tri-
nitas mihi dixit (jam enim non amplius vi-
debam mysterium Divini Verbi Incarna-
ti) Bene veneris, Anima, in me, non absq;
mysterio, & in mea Divina Essentia his se-
ptem diebus manebis, donec prætereat
dies Ascensionis, & tuum corpus nihil re-
tinebit amplius, quā quod sufficiat, ut
hoc tempore possis loqui & operari, juva-
bitur autem ex meā Divina dispositione ab
Angelo tuo Custode: alias enim nihil pos-
set agere. Mansit mea anima hoc modo
conjuncta cum suo DEO, & defixa in illa

Divina facie; meum verò corpus eā ratio-
nē, quā dixit Dominus, quasi exanime ac
destitutum viribus naturalibus, ut cum
magna difficultate possem loqui, vel ali-
quid agere, præbente mihi semper, quan-
do erar necessarium, sancto meo Angelo
Custode auxilium, sicut mihi pollicitus e-
rat Dominus. Itā perseveravi usque ad ve-
sperum Festi Ascensionis, quo tempore me
voluit Dominus probare, præferendo,
quod me vellet relinquere, ac dimittere ex
ea unione, descendendo cum mea anima
usque eò, ubi erat meum corpusculum,
quin id ipsa quasi adverteret. Ibi mihi di-
xit Dominus: Anima, vale; jam enim sa-
tis diu apud me es commorata. Tunc mea
anima, quodammodo expergiscens exfo-
mano, territa dixit suo DEO: Quid est hoc,
mi DEUS? ergone sic vis facere? addidi-
que amanter: Velle me fallere? dies
quem mihi promisisti, necdum præterijt.
Respondit Divina Majestas pro suo amore
& charitate: Bene dixisti, Anima, bene
causam tuam egisti, volo stare meis pro-
missis, quæ non possum non servare: ite-
rumq; Dominus permisit meam animam
manere in se ipso, & in eo statu, in quo fu-
erat, donec sequenti feriā sextā, dum age-
rem cum DEO, Verbum illud Incarna-
tum, & Sol Justitiæ, eodem modo, quo
venerat, quando me secum duxit, mihi
meam animam suaviter ac divine restituit,
existenti in ecstasi, ex qua reverfa me repe-
ri præditam vigore & viribus ordinatis:
sed animam meam deprehendi valde esse
ditatam bonis celestibus, & ardentem in-
star ignis comburentis, adeo ut ex illa deri-
varetur in meum miserabile corpus vehe-
mens ignis & ardor, qui me non sinebar
quiescere, nova in dies concipientem desi-
deria salutis animarum: hunc enim affe-
ctum mihi Dominus communicavit in il-
la unione.

*Modus quo superior pars anima degit in
caelo, & inferior in corpore, explicabitur in
alijs similibus visionibus: hac enim mysteria
peraguntur absque separatione anima à cor-
pore.*